

bio in mente habuit B. Varenium, qui accentus in hoc dicto urget, & Reinbeckium, qui in doctrina de accentibus p. 490. seq. nec non Weimarum Ufu Accent. p. 106. seq. idem oraculum secundum accentus eodem cum Abichtio sensu explicuerunt. Dum vero tantorum Virorum sententiam tam solidis & evidentibus rationibus firmatam, sine ulla ratione negare audet Frankius, infani hominis spectaculum præbet.

§. IV.

Singuli quoque tituli, admirabilis, Consiliarii, Dei fortis in aliis scripturæ locis Salvatori evidenter fatis attribuuntur. *Mirabilis* מְרַבֵּי appellativum sibi ipsi tribuit Salvator Manohæ apprensus, Jud. XIII, 18. Filium enim DEi Patribus apparuisse prolixè probatum est in Dissertatione Cl. Abichtii ad Jos. V, 15. seq. de Duce exercitus Domini Josuæ apparente, quæ etiam aliorum Theologorum communis est sententia. *Consiliarii* titulus etiam Salvatori tribuitur, Prov. VIII, 14. ubi Sapientia inquit: penes me est consilium & sapientia. Quare & antiquissimi LXX Senes h. l. Salvatorem μεγάλης βελῆς ἄγγελον appellant. Salvatorem etiam esse אֱלֹהֵי גִבּוֹר *DEum fortem*, nemo, qui scripturam sacram veneratur, & Judæorum & Socinianorum castra fugit, negabit. Inde & Theologi Christi Deitatem probantes, hoc dicto usi sunt, quod remotus pastor Frankius suis somniis nunquam franget. Sed videamus Frankium, quomodo hæc nomina secundum accentus interpretetur. Vidit ille tres titulos esse distinctos hoc modo:

Admirabilis. Consiliarius: Deus fortis: Inde infert tres titulos Trinitatem indicare, hæc sunt ejus verba in abyfso p. 19. *Tres has personas distingui in una essentia divina, indicant distinctivi accentus singulis additi, qui ita ponuntur, ut proprietates characteristicæ simul elegantissime indicentur.* Sic ex mente ejus admirabilis est DEus Pater, qui per Tlischam Gedolam à filio consiliario distinguitur, Tertia persona est DEus fortis, qui, quia a Patre & filio procedit, merito etiam utriusque magis conhäerenti contradistinguitur. Post pauca: *Scio equidem empactas & Criticos nimium sapientes hæc risuros: sed non moror illos.* En novum & egregium argumentum pro asserenda SS. Trinitate, quod nemo Theologorum hætenus vidit. Sic gloriatur Thrafo in abyfso p. 9. *Accentus, quia negleximus, nemo hætenus vidit, qualis thesaurus*

rus